



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus VIII. De emptione chyrographorum ac Nominum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

In sexto loco allatam rationem solvimus, quod mensura hujus auctariorum ob periculum fortis fumentum sit ab aestimatione atque affectione prudentis, ut tantum accipi ratione periculi possit, quanti vir prudens & constans aestimaret illum metum & molestiam animi ex periculo oriri solitam: seu quanti ipse emeret liberationem ab hoc periculo: ergo ex nostris principiis male infertur, magis timidum, ac magis anxium venditorem posse plus exigere.

In septima objectione negamus suppositum, tale enim auctarium non petitur ad affectionem fortis, ad quem finem magis conduceret pignus aut fidejussor sed exigitur ad compensandam illam anxietatem ac molestiam animi de amittenda solutione solliciti.

Denique cum fundamenta nostrae sententiae non innitantur principiis in object. 8. 9. 10. & 11. ideo allatae ibidem solutiones nobis obijci nequeunt.

CASUS VIII.

De Emptione Chirographorum, ac Nominum.

CAjo praefecto ararij regij offertur emendum: levioze pretio chirographum, vi cuius ipse Cajus ex suo arario regio Creditori solvere tenetur 50. florenos annuos, occasione hujus casus.

Q. 1. Utrum minore pretio ejusmodi chirographum emi possit, quia ex illius emptione damnum aliquod ementi emergat, aut quoddam lucrum cessat?

Q. 2. Quid si nullum damnum eidem per accidens emergat, aut lucrum cessat, quae tamen communiter alijs eveniunt?

Q. 3. Quid liceat, si ordinariè ac communiter nullum damnum, aut lucrum cessans ex chirographo detur.

Q. 4. Quid in his liceat praefecto ararij?

SYNOPSIS.

1. Explicatur status questionis.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Utrum minore pretio ejusmodi chirographum emi possit, quia ex illius emptione damnum aliquid ementi emergit, aut quoddam lucrum cessat?

2. Ob lucrum cessans, aut damnum emergens ementi, possunt minore, quàm ordinario pretio chirographa emi.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid si nullum damnum ementi eveniat, aut nullum lucrum cesset per accidens, licet communiter hac dentur in alijs?

3. 4. 5. 6. Afferuntur rationes pro sententia negante. 9. 10. 11. Satisfit reliquis tribus.
7. Et asseritur etiam in tali casu posse minore pretio emi. 12. Possunt tamen his omnibus positis chirographa pretio adequante debitum distrabi, atque vendi.
8. Solvitur prima obiectio ex superioribus allata.

§. III.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid liceat, si ordinariè, ac communiter nullum tale
damnum, aut lucrum cessans ex chirogra-
pho detur?

13. Volentium etiam tale minore pretio emi posse chirographum ex communi estimatione desumpta ratio dissolvitur.
14. Uti § secunda ratio, ex paritate censuum personalium mutuata.
15. Nec non § tertia ex eo petita, quod jus ad 100, sit minus ipsis 100.
16. Nec favet asserenti opinioni, quod nunquam inveniri possit pretium tali debito equale.
17. Aut quod fundus sterilis ematur vilis fructuoso.
18. Aut fructus acerbi tanto mixti valeant, quanto magis distat à tempore perceptionis.
19. Deciditur pro sententia negativa, que confirmatur auctoritate.
20. Probatum etiam rationibus.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

Quid in his liceat præfecto erarij?

21. 22. 23. Afferuntur rationes illicitam esse talem emptionem præfectis erarij persuadentes.
24. Ac demum etiam pro licentia.

Omnia constat passim in Europa, hunc morem invaluisse, ut certa pecuniæ quantitas apud cassas principum deponatur, vi cujus ematur jus percipiendi annuatim certos redditus seu census. Quæstio nunc in eo versatur, utrum tale chirographum minore pretio, quam sit summa debita, emere liceat. Ut autem certiora incertis præmittamus, examinabimus primo, utrum minori pretio comparari possint, si emptori aliquod dam-

damnum ex emptione emergat, quale incurreret, si in consequendo capitali aut censibus annuis expensas deberet facere, vel lucrum aliquod cessaret, in quantum expensa in alios fines sua pecunia aliquid plus lucrari posset; aut si periculum aliquod sit amittendi ipsum capitale; vel magni labores in obtinendis annuis redditibus exantlandi, postmodum inquiremus, an si omnia ista absint, damnum scilicet emergens, & lucrum cessans, nullum periculum amittendi capitale, neque ulli labores lites aut molestia in obtinendis redi-

tibus adsint, nihilominus minori pretio possint emi, cum autem possit contingere, ut uni solum duntaxat personae nullum damnum aut lucrum cessans ex emptione talium censuum eveniant, bene autem caeteris: vel ut omnino nulli ejusmodi chirographario, quicumque ille sit, saltem ordinario cursu emergant, hinc quid in utroque hoc casu licitum sit, examinabimus. Denique videndum an talia chirographa ut ut licite ab alijs minore pretio comparentur, eodem modo etiam ab ipso praefecto emanantur.

S. I.

Resolvitur primum Quaesitum?

Utrum minori pretio ejusmodi chirographum emi possit, quis ex illius emptione damnum aliquod ementi emergit, aut quoddam lucrum cessat?

Dico 1. Ob lucrum cessans & damnum ementi ex emptione chirographi obveniens, diminui potest pretium. Ita communis, TT. ac Jurisperitorum. Probatur 1. quoad damnum emergens. damnum emergens est pretio aestimabile: ergo regulariter & extra necessitatem extremam, vel gravem proximi compensari potest, detrahendo tantum ex consueto alias pretio rei, quan-

ti damnum aestimatur. Probatur consequentia, aequitati non convenit, ut vel venditor, vel emptor ex contractu damnum patiat. item juxta *Can. 4. §. 3. 10. q. 2. ratio* *Et usus obtinet, neminem, cui non vult, contra utilitatem ac rationem cogi, de proprio facere beneficium.*

Probatur 2. In casu, quo mihi ex emptione damnum emergit, tunc idem est, ac si meum pre-

pretium, quod volo dare pro merce tantò plus valeret, ac est ipsum damnum, quod patior: sed si tantò plus valet, tunc minore hoc pretio possum comparare illud chirographum: ergo &c.

Confirmatur 1. Quando pretium oblatum pro chirographo excederet 6. florenis valorem ordinarium illius, possem repetere à venditore 6. florenos: ergo si damnum conjunctum cum pretio consueto chirographi superat valorem chirographi, possum excessum detrahere.

Probatur 3. à debitore sunt compensanda damna, quæ fidejussor occasione fidejussionis patitur: ergo etiam emptori sunt compensanda à venditore damna, quæ emptor ex emptione patitur.

Confirmatur 2. In hoc casu cupit venditor, ut ego cum damno meo chirographum à se emam: ergo possum ab illo exigere, ut mihi pro illo damno compensationem faciat, quæ fit, si aliquid de ordinario pretio mihi remittatur.

Optimè autem auctores moment opus esse, ut revera damnum ex talis chirographi emptione nascatur. 2. ut damnum ex emptione chirographi resultans propter venditorem subeam, aliàs non subiturus, secus non

ipse venditor causa erit, sed habebit se damnum per accidens ac impertinenter. 3. ut venditor de hoc admoneatur, diminue scilicet propter ista pretium.

Probatur nunc etiam quod lucrum cessans. *In cap. naviganti: de usuris habetur ab usura excusari eum, qui pannos, granum, vinum, oleum vel alias merces vendit, ut amplius quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non erat venditurus. Ergo idem tenendum erit de emptore.*

Probatur 2. juxta D. Thomam 2. 2. q. 62. art. 4. ad 1. § q. 71. art. 2. ad 1. lucrum cessans est etiam quoddam damnum emergens: sed juxta dicta ob damnum emergens potest aliquid exigi: ergo etiam ob lucrum cessans.

Confirmatur. Pecunie emptoris ob spem illis aliquid lucrandi, jam nunc sunt plures, ac essent sine illa spe lucris: ergo non teneor ordinarium pretium pro chirographo dare.

Confirmatur 2. Si in gratiam alterius omitto laborem, ex quo lucrum possum facere; licet mihi erit propterea aliquid ab altero exigere: ergo si etiam in gratiam venditoris privo me quoddam lucro, potero aliquid propter id exigere, diminutionem scilicet ordinarij pretij.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

Quid si soli emptori, bene autem cæteris nullum damnum emergat, aut nullum lucrum cesset?

Cum sapius ejusmodi chirographarij communiter atque ordinariè multam difficultatem in obtinendo censu habeant: ex opposito emptor per accidens solus vel omnino nullam vel modicam, major in decisione hujus quam prioris quæsti difficultas reperitur.

Pro sententia negativa facit, primò, quòd illud debitum unicè minus fiat ob periculum & damnum: ergo quando sublata hæc fuerunt, pariter sublatus erit titulus emendi minori pretio.

2. Argumentantur à pari: ponamus, ajunt, casum, quòd aliquod debitum creditori sit dubium atque incertum, alij autem liquidum & certum, non poterit iste minori pretio à creditore hoc debitum comparare: ergo neque talis chirographum, si alteri hoc molestias, non autem ementi causet.

3. Si debitum, quod amoto damno emergente ac cessatione lucri cum expensis & labore recuperandum est, secundum se minus valeret, quàm si foret sine expensis ac labore recuperan-

dum, iniquè ageret creditor, si ab ipso debitore pro debito 100. florenorum, 100. pariter florenos reciperet, eo quòd minus valeret tale debitum, utpote non sine labore acquirendum.

4. Deberet mutuarius pauper & infidus mutuanti etiam non petenti aliquid supra sortem promittere. Probat. difficultas, quam talis mutuans habet in comparatione sui mutui à mutuuario, paupere atque infido augetur juxta hæc principia ipsam summam mutuo datam, ita ut hæc secundum se plus valeret: ergo &c.

His tamen non obstantibus dico cum Molina *tract. 2. disp. 361. n. 10.* Cardinal. de Lugo *disp. 26. n. 94.* Sal. *tract. de emptione dub. 40.* Gibal. *l. 4. de negot. hum. c. 4. art. 4. consec. 1. n. 5.* Quod tale chirographum etiam in casu tali possit minoris emi, si communiter & ordinariè ab alijs absque cessante lucro, & emergente damno comparari, & haberi nequeat. Probat. valor alicujus rei desumendus est ex communi estimatione, qua communiter

Q

niter

niter res æstimaretur, si publicè vanales exponeretur, non autem ex privata alicujus particularis personæ utilitate: atqui si tale chirographum, creans potissimis suis possessoribus ordinariè & ut plurimum aliquas molestias in obtinendis solutionibus, vanales proponeretur, illud minoris æstimaretur, ac emeretur: ergo à tali poterit etiam minoris emi, habita scilicet ratione pretij à communitate taxati, licet ipse per accidens illam difficultatem neutiquam patiatur.

Confirmatur. Si emptori speciale lucrum, vel commodum ex emptione aliqua exoritur, non est licitum vendenti augere ex hoc capite pretium rei à communitate taxatæ, eò quòd non ipse venditor sit causa commoditatis ex tali emptione ementi resultantis: ergo neque in tali chirographo augendum erit pretium à communitate taxatum, eò quòd ob singulares circumstantias ementi soli proprias, illas difficultates comparans non patiatur.

Confirmatur 2. Demus, quòd & vendens & alij communiter levissimo labore absque periculo annuos redditus possint obtinere, Petrus autem per accidens difficillimo labore, & non sine periculo amissionis eosdem obtinere possit, nemo dicet, talem venditorem obligatum esse, ut viliori pretio suum chirographum ipsi Petro divendat: ergo etiam ta-

lis minori pretio poterit ehere, licet faciliore labore redditus comparare possit, quamvis eundem peccatum contra charitatem alicui auctores censeant, si venditor per magnam inopiam cogatur vendere.

Neque infringunt conclusionem nostram, quæ sententiæ oppositæ patroni pro se attulerunt. Ad 1. enim respondeo cum distinctione, chirographum tale unice minus fit, ob periculum damni, quòd communiter & à potiori debent subire habentes tale chirographum, conc. ant. minus fit ob periculum & damnum, quòd quilibet habens illud chirographum patitur in comparatione annuorum reddituum: neg. ant. & dist. conf. ergo quando hoc periculum, & damnum apud communitatem & potiore partem populi est sublatum, erit sublatum etiam titulus emendi minori pretio, conc. conf. Si tantum apud unum, vel alterum possessorem illius chirographi, & hoc ipsum per accidens est sublatum, erit etiam titulus sublatum, neg. conf. Similia ideo minori venduntur pretio, quia ipsis venditoribus & communiter alijs periculum, & damnum alijs imminet. manifestam insulam habemus in equo feroci, quem minori pretio ob ferociam suam possum emere: licet ob pecuniam, mihi que soli cognitam industriam illud malum auferre valeam, & consequenter nullum in-

incommodum ex illo vitio patiar.

Ad 2. Negatur paritas inter debitum Creditori quidem dubium, mihi autem liquidum ex una parte, & ex altera inter damnum, quod patiuntur communiter vendens & alij, & privationem huius damni residentem apud ementem v. g. aulicum. In hoc enim posteriore casu ipse venditor non decipitur, eò quòd sciat suum debitum esse vitiosum. In priorè autem emens abutitur errore vendentis, & ignorantia Creditoris. Dein debitum certum in se ac liquidum ex eo, quòd Creditori sit dubium, minimè propterea sit minoris communi æstimatione, prout tamen in nostro casu contingit.

Ad tertiam objectionem 3. negando sequelam: ideo enim ipsi debitori non est licitum, Creditori dare minus quid 100. florenis, quos ipsi debere ponitur, ob laborem, quem Creditor habet in exigendo isto debito, quia ipse tenetur Creditorem sublevare illis incommodis, quæ in communi æstimatione tale debitum efficiunt minoris valoris: ergo ex eo, quòd debitor centum florenorum

non possit satisfacere dando Creditori duntaxat 90. florenos, nequitiam inferitur, ipsum laborem & expensas, in acquirendum debitum faciendas, non minuere per se pretium ac valorem debiti, si ab hoc periculum amittendi, aut damni emergentis, vel lucri cessantis absit.

Cùm ergo hoc ipsum dici possit de mutuario paupere & infido, obligatum scilicet etiam istum, ut Creditorem omni labore atque expensis sublevet, idè neque ille erit obligatus ad reddendum aliquem excessum supra ipsam summam mutuatam. Consequenter neque quarta num. 6. allata contra Nos objectio subsistet.

Neque tamen ex hæcenus dictis legitimè iudicio nostro inferetur, sequi ex illis, à Creditoribus eiusmodi nunquam vendi posse chirographa pretio debiti æquante, si in comparatione reddituum, aliqua difficultas sit exantlanda. eò quòd communi usu receptum sit, ut illa tanti vendantur, quanti vendi possunt intra limites summæ debitæ.

S. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

Quid si nullum damnum, aut lucrum cessans communiter, ac ordinariè ejusmodi chirographario ex suis nominibus accedat, an &c.

Licet autem ut plurimum Authores in hæcenus decisis conveniant, majore tamen vehementia agitur controversia, in qua dubitatur, quid agendum, si neque difficilis vel ambigua sit solutio, neque cum molestijs obtinenda, neque damnum aliquod emergens, aut lucrum cessans ex emptione alicujus chirographi oriantur. Possè nihilominus minoris emi ejusmodi chirographa defendunt *Panormitanus*, & *Innocentius in capitulum in civitate de usuris*: *Cajetan. ver. usura sub finem. Navarrus c. 17. n. 230. Card. Bellarminus, Petrus Parra, Cajetanus, Gibalin.*

Moventur 1. Pretia rerum juxta fundamenta prioris conclusionis desumenda sunt à communi æstimatione hominum: sed isti remotis omnibus difficultatibus, damno emergente, ac lucro cessante, minoris æstimant quælibet chirographa, quam ipsam summam debitam: ergo etiam minoris possunt emi. Responderi potest, negando minorem: ideo enim communiter atque ordina-

riè talia chirographa minoris æstimantur, quia communiter, atque ordinariè eadem chirographa habent annexas difficultates in acquirendis redditibus, vel periculum amissionis, aut damni emergentis, lucrive cessantis, quòd ex eo clarissimè patet, quòd interrogati causam hujus suæ minoris æstimationis fermè semper aliquid ex allatis adducunt: ergo, si certum est, omnia ista esse remota, non poterunt minoris æstimari, aut emi.

Moventur ijdem 2. Communiter receptæ sunt emptiones censuum personalium; his emitur jus quoddam exigendi singulis annis certam aliquam partem sortis, seu summæ extraditæ, ita ut lapsu aliquot annorum acceptæ annuatim partes adæquent denique summam: & tamen his non obstantibus licet accipere tandem adhuc integram summam, quæ ab initio expensa fuit; si venditor voluerit tandem censum redimere; sequeretur autem in sententia opposita, non posse post acceptos aliquot annis reditus an-

nuos integrā summam accipi, quod probatur: talis accipiendo integrā summam præter partes jam antea receptas acciperet, plus quā ipsi deberetur: ergo non est licitum. Probatur ant. acciperet primò totam suam summam, & insuper census annuatim acceptos æqualitèr in sortem computandos: sed ista duo sunt utique aliquid plus quā ipsa summa: ergo reciperet plus, cum igitur juxta communem talis non plus aliquid acciperet, neque debitor & vendens census judicetur nimium dare, ideò omnes judicant, debitum post aliquod tempus primū solvendum minus valere, quā ipsam summam: neque obest, quòd iste excessus supra summam divisim quot annis solvatur, eò quòd ad justitiam minimè faciat, sive major summa detur divisim, sive conjunctim, ac simul & semel.

Ad hanc rationem reponunt contrariæ sententiæ Patroni, negando sequelam. In probatione hujus concedunt à tali Creditore plus quid recipi, & supra sortem expensam; asserunt autem hunc excessum justè exigi non ex eo capite, quòd jus ad recipiendam post aliquod tempus certam pecuniæ summam, etiam seposito omni labore, periculo & damno &c. sit minoris æstimandum, quā ipsa summa: sed quia tales census annui ob temporis diurnitatem, & circumstantiarum

variationem magnis periculis amissionis sint expositi; addunt secundò, tali certa sorte non emi hanc ipsam sortem suo tempore iterum restituendam, sed potius aliquod jus ad recipiendos annuatim certos redditus: ergo ex hoc argumento nihil evinci poterit.

Moventur 3. Tunc justa est 15 emptio, quando pretium adæquat mercis ipsius valorem ac communem æstimationem: atqui si emam hodie 90. florenis jus percipiendi post annum 100. pretium adæquat valorem mercis: probatur minor. Jus ad capiendum 100. florenos post annos non valet tantum, quā ipsi 100. ergo &c. Probatur ant. omne jus ad rem futuram aliquanto minus valet, quā ipsa res futura: ergo etiam jus illud,

Confirmatur. In communi æstimatione minus est habere actionem, quam rem. Ita habetur *Leg. 204. ff. de Reg. Juris.* neque dicas ipsos 100. florenos, non autem jus ad illos capiendos emi, te enim hæc asserentem ita refutabunt. Si emerentur 100. floreni, non autem ipsum jus ad hos, teneretur istos venditor tradere: atqui non tenetur illos tradere, neque modo neque post annum: ergo Creditori duntaxat tribuit jus exigendi à se, & percipiendi 100. florenos.

Sed etiam ista ratio facilè dissolvi potest: negatur enim minor asserens pretium æquaturum mer-

cem, si jus percipiendi 100. emam 90. hujus probationem distingui- mus. Omne jus ad rem futuram emitur minus, quia hoc communiter conjunctum est cum aliquo periculo, damno, vel alijs difficultatibus; conceditur, si ista etiam omnia absint, negatur. vel igitur adversarij volunt omne jus etiam ad rem de presenti tradendam esse minoris aestimandum ipsa re tradenda: vel asserunt jus ad rem futuram esse minoris? non primum, alias possem jus ad extradendos quantocius 100. florenos emere 90. sed neque secundum, prout in probatione contraria opinionis videbimus. Confirmationem quod attinet *iv.* sermonem in jure ibidem esse de actionibus litigiosis, incertis, ac plurimam difficultatem sibi conjunctam habentibus, quas etiam isti authores minoris valere asserunt, quam ipsam rem.

16 Movetur 4. Pretium justum & æquale mercis potest inveniri: atqui nunquam poterit inveniri pretium æquale debito: ergo pretium æquale debito non erit justum. Probatur minor, non poterit aliquis inveniri, qui 100. florenis emat chirographum 100. florenorum: ergo &c.

iv. Dist. minorem & hoc ideò, quia ejusmodi chirographis semper annexæ sunt difficultates, pericula &c. Concedo minorem, si certò constet non esse hæc illis annexa nego min. &

conf. ceterum, si hæc ratio valeat, sequeretur justè aliquid exigi in mutuo supra sortem, non enim aliquis facillè invenire poterit, nisi sit amicus, aut misericors in alios, qui alteri pecunias mutuas gratis elocet.

Movetur 5. Fundus sterilis & infructuosus minori pretio emitur, quam fecundus: ergo etiam hoc jus erit minoris aestimandum, quam ipsi 100. floreni. Prob. cons. 100. floreni sunt aliquid utile æque fecundus: jus verò ad illos aliquid sterile: ergo &c. *iv.* hoc argumentum manifestè solvendum in mutuo, in quo obligatio, quam mutuarius contrahit, est vel maximè sterilis, *iv.* *z.* in forma. Fundus sterilis minoris emitur, & hoc ideò, quia fertilis dat fructus, quo carere debemus, quamdiu ager est sterilis, con. ant. præciudendo ab hac ratione. nec. ant. & dist. cons. ergo etiam jus erit minoris aestimandum, si ponatur ex carentia pecuniarum locatarum eventurum aliquod damnum con. cons. si nullum eveniat, uti in casu supponitur, nego. cons. in ipsa questione fuit positum, ex dilatione solutionis non deesse aliquid elocati pecunias.

Movetur 6. Quando fructus adhuc sunt acerbi eò minus valent, quo magis distant à tempore perceptionis, ubi sunt maturi: ergo etiam, dum tale jus adhuc multum distat à sua matu-

ritate, illo scilicet tempore, quo solvi debet, valebit minus.

¶ Neg. conf. idem enim fructus virides & immaturi minus valent, quia sunt quamplurimis adhuc periculis subiecti. Dein effectus fructuum maturorum est utique longè melior. Econtrariò ponitur Creditorem ex dilatione solutionis nullum periculum pati, præterea pecunia sive hodie accipiat, sive post annum in se non fit melior, nec habet majorem valorem.

¶ Solvimus hucusque præcipuas rationes sententiæ oppositæ; superest, ut etiam nostræ opinionis fundamentum afferamus: Judicamus itaque, ejusmodi nomina nequaquam minori pretio emi posse, si neque difficilis, neque ambigua sit solutio, neque cum molestiis obtinenda; neque damnum aliquod emergens, aut lucrum cessans ex emptione alicujus chirographi oriantur. pro hac à Molina de contractibus tract. 2. disp. 361, citatur Conradus de contractibus q. 67. Joan: Medina de resit. q. 38. dub. ult. Sotus 6. de Just. que 4. art. 1. ad 3. Major in 4. dist. 15. q. 40. argum. 7. Gabriel ibidem que 11. art. 3. dub. 4. Angel V. usura n. 63. § 64. Sylv. verbo usura 2. q. 14. hanc ipsam tenent Lessius l. 2. de empt. § vendit. c. 21. dub. 8. n. 71. Sotus 6. de Just. q. 4. art. 1. ad 3. Valentia 2. 2. disp. 5. q. 20. concl. 5.

Lugo disp. 26. n. 96. Hainold tract. 10. de jure § Just. contro. 14. n. 103.

Rationibus nostra conclusio probatur sequentibus; si remotis omnibus difficultatibus & periculis circa solutionem, etiam si non detur lucrum cessans aut damnum emergens esse dilatione solutionis ad tempus constitutum, licet emeretur anticipato tale debitum pretio minore, ratio foret, quia jus percipiendi aliquid in futurum etiam in his circumstantiis minoris æstimandum est, quàm sit ipsa summa pecuniaria: atqui non est minoris æstimandum: ergo non valet minus.

Min. prob. 1. Si jus ad solutionem summæ in futurum minus valeret, quàm ipsa summa, liceret in mutuo aliquid supra sortem exigere. prob. si à mutuante nihil accipiat supra sortem, habet ille minus quàm sit datum: ergo licet aliquid supra sortem accipere; in commutatione etenim, qualis habetur omnis contractus mutuus, debet observari perfecta æqualitas, prob. ant. à mutuante accipitur jus ad recipiendum post certum tempus 100. florenos v. g. à mutuuario autem accipiuntur ipsi 100. floreni: sed juxta principia adversariorum hoc jus est minus quàm sit ipsa summa: ergo mutuans accipit minus: ergo cum in mutuo liceat accipere tantum, quantum mutuatur, licetbit mutuantis acci-

acci-

accipere aliquid supra fortem, atqui hoc est contra omnes: ergo etiam prius.

Prob. eadem min. 2. Jus ad recipiendos actu de presenti 100. florenos non est minus quid, quam sint ipsi 100. floreni: ergo neque jus recipiendi aliquid in futurum. prob. cons. si posterius jus minus valeret, quia est in futurum, valeret etiam minus in ipso mutuo: atqui hoc esse falsum primò ostendimus: ergo &c. Neque dicas cum Gibalin. lib. de negot. bun. c. 4. art. 4. confect. 1. n. 3. Disparitatem inter mutuum & alium contractum esse, quòd priori dilatio solutionis sit intrinseca essentialis, non autem alijs contractibus, si ergo in mutuo aliquid supra fortem acciperetur, fieret hoc propter mutuum, ob quòd tamen aliquid plus accipere est illicitum; ne, inquam, hoc dicas. Si enim dilatio intrinseca contractui non minuit pretium, nulla ratio potest dari, quare illud minuat extrinseca dein rationes, quæ juxta adversarios probant in venditione talis censùs futuritionem solutionis efficere ipsum tale jus vilius, pariter procedunt de jure ad futuram solutionem, ubi futuritio est intrinseca, ergo si nihil licet accipere supra fortem ubi futuritio est intrinseca contractui, prout contingit in mutuo; optimè inferitur jus ad solutionem in futurum non esse vilius, si enim tale

jus foret vilius, liceret aliquid accipere supra fortem in mutuo, cum ideo duntaxat id sit prohibitum, quia alijs in illa commutatione non servaretur æqualitas inter acceptum & traditum. Optimè denique disparitatem istam inanem demonstrat capitulum in civitate 6. de usuris affirmans injustitiam committi casu, quo emptor comparet quinque pondo, postmodum verò ob dilatam solutionem solvat sex, ubi de alio contractu, quàm mutui sermone haberi ex eo deducitur, quòd ibidem dicatur, hujusmodi contractum ex sua forma non esse usurarium.

Probatur eadem min. ulterius 3. argumento, quòd insinuat Molina, loco citato, si jus ad recipiendum 100. abhinc post annum modo non valet 100. casu quo à me hodie exigantur 100. potero in contractu mutui exigere aliquid ultra fortem: sed hoc est falsum: ergo & prius prob. Maj. licet aliquid exigatur ultra fortem, adhuc tamen dabitur æqualitas inter datum & acceptum: ergo id licebit, prob. ant. datum conficit 100; acceptum verò est jus ad 105, sed inter hæc darur æqualitas: ergo inter datum & acceptum dabitur æqualitas. prob. min. juxta adversarios jus ad 105. post annum primò solvendum est minus, quàm sint ipsi 105. post annum solvendi: ergo inter datos à mutuante 100, & accep-

tum ab isto jus ad 105, datur æqualitas : ergo poterit in mutuo aliquid ultra sortem exigere, quod tamen communi opinioni repugnat. Item licetè potero dicere nolo tibi mutuos dare 100. florenos, sed emam à te jus recipiendi post annum à te 100. florenos ; quia autem hoc jus minus valet, prout adversarijs placet, quàm centum ideo emam illud jus à te modo 90. florenis sed talis contractus manifestè est usurarius : ergo &c.

Probatur etiam 4. Sequeretur, quòd etsi valor pecuniæ hic & Parisijs foret æqualis, neque ullum periculum aut labor in tractione pecuniæ Parisijs ; insuper

nullum adesset damnus emer- gens, aut lucrum cessans, pos- sem tamen hic plus quàm 100. florenos accipere, ut Parisijs 100. floreni redderentur : at omnes hoc ut illicitum rejiciunt : ergo jus ad aliquid in futurum solven- dum secundum se non est minus, quàm ipsa summa recipienda.

Istæ pluresque aliæ rationes, quæ in rem nostram legi possunt apud Molinam *de contractibus tract. 2. disp. 362.* Videntur clarè evin- cere jus ad certam summam in futurum solvendam remotis om- nibus difficultatibus, periculo amittendi summam, & reliquis superiùs insinuatís non esse vilius, quàm ipsam summam.

§. I V.

Resolvitur quartum Quæsitum ?

Quid in his liceat Præfectis ararij ?

21 CUM igitur ex dictis constet, quandonam licetè minori pre- tio vendantur similia chirogra- pha, & quando illicitè ; viden- dum, denique quid in hac re ejus- modi præfectis ararij regij con- cessum sit, respectu debitorum, quæ annuatim ex cassa, cui præ- sunt, solvenda manent.

Et primo quidem illicitam esse talem emptionem hac ratione probatur, ipse mutuarius, qui est princeps, non potest minori

pretio emere similia chirographa ob difficultates, quæ in solutione illorum communiter haberi affo- lent, eo quòd ipse mutuarius ex justitia teneatur amovere istas difficultates. Uti cum commu- ni docet Cardenas *in Crisi Theolo- gica dissert. 25 cap.* Ergo neque poterit ejusdem præfectus, cum hic eandem cum principe perso- nam gerat.

Secundò vel talis minister emp- to alterius chirographo potest si-
P bi

bi facere solutionem ex pecunijs principis, vel non potest sibi illam facere? Si potest sibi illam facere, poterit & debet etiam alijs debitoribus: ergo etiam illi, à quo chirographum minori pretio emit: ergo si hoc non faciat, injustè alterum cogit ad vendendum sibi chirographum leviori pretio: sed neque potest dici, quòd illam solutionem sibi non possit facere, in quem enim alium finem illud ab altero emit; certè nullus ejusmodi præfectorum communiter ita prodigus suarum rerum deprehenditur, ut chirographa emat, quando certo illi constat omnem spem eadem solvendi præcisam esse.

Neque dicas posse contingere, ut aliquibus debitis solvendis ærarium regium sufficiat, non autem omnibus, & in hoc casu licitum esse præfecto suum debitum ante cæterorum accepta solutione expungere. Contra enim est, si ejusmodi præfectus non potest omnibus Creditoribus integram solutionem facere, præferendi sunt illi, qui propter hypothecam prælationis jus habent, vel alia quacunque ratione, aut si omnes sunt æqualis conditionis, erit omnibus aliquid dandum & detrahendum cum proportione, ut habeatur ratio quantitatis cujuslibet debiti.

²³ Tertio, illa emptio est illicita, quæ cedit in detrimentum publi-

cum: sed ejusmodi cederet, præbatur minor, talis emptio ejusmodi præfectis suppeditat occasionem, atque illicitum negandi solutiones debitas, quas ideo denegant, ut alij ex difficultate annuos redditus, quibus indigent, recipiendi compellantur ad vendenda viliori pretio eisdem chirographa: dein cum tales præfecti propriam solutionem anteponan alienæ, casu quo ipsimet multis chirographis abundant, privantur interea alij, cum ad satisfaciendum singulis ordinariè cassa principis non sufficiat.

Pro opposita tamen sententiâ, dante licentiam ejusmodi præfectis ærarij emendi talia chirographa, si ultrò à Creditoribus offeratur emenda, facit, quòd talis præfectus non debeat esse pejoris conditionis, quàm alij: ergo si alij possunt emere, comparare illos etiam poterit ejusmodi præfectus.

Limitant tamen ista sub conditione, nisi ipse præfectus aut principalis debitor sit causa, ut Creditor vendere velit, præbendo se difficilem in solutione: talis enim deberet hanc difficultatem tollere, & præferre, solutionem fore facilem tempore constituto: ex eo enim, quòd alij non sint hujus difficultatis causa, idè isti poterunt minore pretio emere, asstrunt autem hanc licentiam in istis terminis Navarra cap. 17. n. 230. Fagundes.

dez. Tambur. Lessius lib. 2. cap. 21. n. 70. Burgh. cent. 1. cas. 50. Lugo 101. Sporer n. 50.

Ad rationem 1. Loco in favorem prioris sententiæ negantis allatam responderi potest, ex illa sequi, principalem debitorem non posse talia chirographa emere, si ille sit in causa & mora culpabili omiffæ solutionis, quod si autem difficultas solvendi non proveniat ex parte & culpa principalis debitoris, non apparet ratio, quare id ipsum ejdem soli sit prohibitum,

Ad 2. Rationem reponi posset, talem Præfectum nolle sibi metipsum præstare solutionem, nisi tantam, & illo tempore quantam, & quo tempore tali chirographario venditori posset solvere, uti & alijs æquale jus ad talia debita habentibus, consequenter semetipsum in solutione proprij sui debiti, à se alijs nequaquam præferendum esse.

Dices. Si certa vel probabilis est spes solutionis, venditor non

habet causam vendendi. Si autem hæc spes probabilis desit, Præfectus non emet, nisi habeat voluntatem solvendi suum debitum omiffis alijs. Sed responderi ad hoc potest, posse haberi probabilem, non tamen sine omni formidine spem aliquam solutionis: chirographarium autem ex alijs rationibus indigere præfenti pecunia, & ultrò Præfectum, ut emat, adire.

Ad 3. Rationem: n. etfi in hoc casu posset absolute licita esse talis emptio Præfecto, est tamen illa plena periculo, eo quod exorta difficultate solutionis alijs chirographarijs præstandæ omnino timendum, ne Præfectus se in sui debiti solutione alijs præferat.

Videtur igitur speculative loquendo licita esse talis emptio ejusmodi Præfectis: in praxi autem ob proximam occasionem quam plurimas injustitias committendi non facile suadenda.